ALIUD.

PEr laudes non ibo tuas MARTINE; sat esto
Si dicam; Es bonus, & natus ad omne bonum.
Eusebiê, Euphrosynê, Evepiê, decoraris; & hoc est
Qvod dixi; Es bonus, & natus ad omne bonum.
Credo sibi laudes LAuS tales poscceret ipsa;
Dico tamen; laudes non numerabo tuas.
Eusebie, Euphrosyne, Evepie, Triga alma Dearum
Pergite MARTiNuM condecorare meum.
MARTINE studiis operate salubribus, insta
Et sequere Eusebien Evepienq; cole.
Eusebie, Evepieq, Tibi jam serta pararunt
Cras feret Euphrosyne crinibus illa tuis.

Collegæ ac Amico verè suo scr.
Iohannes Güntherus Olsnens. SiL.

ALIUD.

QVale Tibi ingenium, MARTINE, sit, undiq; notum.
Ingenij & Genij qvàm valeasq; bonis.
Miratur qvi Te tractantem Musica cernit,
Seu modò voce canas, plectraq; seu moveas.
Qvæcunq; aggrederis feliciter omnia cedunt,
Et redit ad laudes actio qvæq; tuas.
Sed nihil hæc, nihil hæc; Divini svada PELARGI
Efficit egregijs artibus ut clueas.
Præside respondes dum Tu MARTINE PELARGO,
Hoc sub Deologas dum meditaris opes.
Clarescies olim: (liceat mihi vera fateri)
Gratus eris Doctis; Gratus eris Patriæ.
Pergere perge modò; Nam sic si pergere perges,
Cultum ita Te quondam Patria culta colet.

Veri ac fraterni amoris ergò Collegæ suo f.
Samuel Hentzner Sternber-
genſis Moravus.

FINIS.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id371980453/6
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG